Argumentum et structura Isocrateae de permutatione bonorum orationis explanatur.

Nuper quum legerem cum discipulis secundae classi adscriptis Herodoti librum VII., fieri non potuit, quin iis, quae capp. 7—12 Xerxem, Mardonium, Artabanum inter se de bello Graecis inferendo disputantes facit pater historiae, maxima afficeremur admiratione. Neque vero magis simplicitatem quam artem sumus admirati, qua orationes illae tanta sunt concinnitate et verborum et sententiarum expressae, vix ut ante illa tempora, quibus rhetoricae studia maxime in Graecia floruisse constat, scriptas esse crederes. At nimirum numquam non vos monere solemus, carissimi discipuli, ne quis vestrum satis habeat acquiescere in admiratione veterum quos nos magistri vobis explicamus scriptorum; ad vitae usum quantum fieri potest convertere vos oportet quae legeritis fructumque inde percipere mansurum.

Vel, quas vobis in schola proponimus veterum orationes, sive Demosthenis, Lysiae, Thucydidis, sive Ciceronis, Livii, aliorum, eo potissimum consilio legere debetis, ut intelligatis, quomodo quaeque disposita sint ac distributa; quod si feceritis, etiam patrio sermone apte concinne dilucide et loqui et scribere didiceritis. Namque et oratio et scriptio, quae bona rerum ac partium in locos distributione caret, teste Quintiliano (Inst. or. VII., pr.) tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet nec cohaereat sibi: multa repetit, multa transit, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine proposito, casum potius quam consilium sequitur. Itaque hac scribendi data occasione haud alienum esse putavi exemplum artis proponere oratoris, quem publice vobiscum non tractamus, Isocratis, quem quidem dilectissimum Socratis discipulum quanti fecerit Plato, cognoscere potestis ex cap. 64 Phaedri Platonici. Delegi orationem eius de permutatione bonorum.

Contigit Isocrati saeculum illud vita peragere, quo vix ullum nobis clarius rebus gestis et immortali literarum flore illustrius traditum est historia ac quasi concessum. Quid? Pericleamne aetatem praedicemus, cuius gloria oratoris infantiam collustravit; bellum Peloponnesiacum, quo adulescens patriam potentiae ac fortunae fastigio deiectam vidit; praeclarae et popularium et Lacedaemoniorum, Thebanorum facinora, quibus, dum Graeciae propugnaculum libertatis esse liceret, gloriam sibi ac famam condiderunt mansuram atque omnis posteritatis admirationem, imitationem excitarunt; contentiones civiles ac discordias, Macedonicas fraudes, belli vicissitudines, ultimos casus — haec omnia monstremus? At profecto nil fere ad Isocratem, qui remotus non modo a pugnarum acie sed vel turbis forensibus atque contionum strepitu abstinens, literarum et studio et otio vitam explere decrevit. Nec vero hoc campo, quo tot insignes viros habuit et socios et amicos, frustra decertavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quum enim ante Periclis aetatem poesi maxime dramatica omnes fere liberalium artium fines essent circumscripti, eo mortuo, quemadmodum publica Atheniensium res misceri mutari coepta est, sic et in literis est novatum, ita vero, ut praeclara profecto fieret progressio ad omnem excellentiam. Prosa oratio pede firmo incedere coepit, ars dicendi quum antea vix habuisset locum, nunc definitam pariter atque immensam consequuta est regionem, eiusque studium ut latius in dies patebat, ita certissimos fines consectabatur. Quae quidem conversio debetur illis viris, qui rerum civilium peritia instructi, ingenio acerrima diligentissimaque rerum quarumlibet investigatione subacto praeter ceteros eximii, nomine Sophistarum insigniuntur [1]). Hi quum linguae diligenti notitia, omnibus dialecticae subsidiis freti, non, ut prisca aetas, rerum agendarum naturae ac legibus fida quadam simplicitate in dicendo scribendove penitus parerent, sed dicendi cupiditate acti, omniaque prout lubebat, sive in dubium revocandi sive pro certo venditandi libidine abrepti, sibi res, non rebus sese subiicientes id agerent, linguae ut summam sumministrarent expolitionem, elegantiam, venustatem, proprietatem, sibi vero apud populum quam maximam laudem ac gratiam compararent, eloquentiae magistri exstiterunt eiusque auctores habendi sunt. Itaque primi Sophistae orationes edebant operibus magnificis ac plane singularibus consimiles, ad delectationem, admirationem aut exercitationem factas, ut nimirum aut scientiae iactatione aut speciosa rerum vel cognitu difficiliorum vel auditu iucundarum facultate ingeniique mobilitate, apud populares atque adeo externos summam adipiscerentur celebritatem. Sequitur, primum ut maxime de sua inter sese gloria certasse videantur, generi epidictico et eristico, ut verbo utar, innixi. Sed quum omnia populi arbitrio regi coepta essent, etiam rebus publicis se accinxerunt ita, ut ad forensia certamina descenderent, quamquam non tam ipsi honores inde accipiebant, quam alios orationibus a se scriptis iuvabant. Attamen quo quis magis exercitatus est et versatus in dicendi arte, qua animos moveat, quoquo velit traducat, rebusque exponendis populique suffragio diiudicandis quibuslibet et verisimilitudinem et commendationem addere valet, eo maiore auctoritate potietur in civitate, in qua omnes res ad furorem multitudinis et licentiam convertuntur. Itaque ad genus iudiciale sese applicabant plurimi oratores, qui primos illos sophistas, Gorgiam, Protagoram, Prodicum sequuti sunt, Antiphon, Thrasymachus, Lysias, ceteri, de quibus vid. Ruhnken. Hist. Crit. Oratt. Gr. p. 8—26.

Duplex igitur erat eo tempore, quo Isocrates florere coepit, Atticae eloquentiae regio atque via, quod aut publicis, in contione habendis orationibus, aut excolendis dicendi generibus et ad τέχνην conformandis, opera impendebatur: orationes habes politicas s. civiles, habes sophisticas. Iam Isocrates, qui Lysiae inter aetatem et Isaei natus, insignem ipse eloquentiae laudem meruit atque inter principes oratores relatus est, quid cum aetatis istius indole habeat commune, quidve ab ea diversum, non est hic locus disserere; sufficiat, unius orationis compositione explicata, Isocrateae dictionis ac tractationis exemplum monstravisse.

Inscribitur oratio, cuius partes expositurus sum, περὶ ἀντιδόσεως, de permutatione bonorum. Quare qui primum ad orationem accedit, de parte iuris publici Atheniensium agi putabit ea, quae ad liturgiarum rationem pertinet; vehementer vero erraret, qui hinc multa hauriri posse speraret ad eam rem illustrandam, illustratam egregie, quantum licet, a F. A. Wolfio in Prolegg. ad Leptin. post disputationem de trierarchia, pag. C.—CXXV.; A. Boeckhio, II., pag. 122 sqq., Platnero II., 106 sqq., C. F. Hermanno §. 161—162, quibus viris addas Vollbrechtii de antidosi apud Athen. dissertationem Clausth. 1846. Sane, si e. c. in Demosthenis orationem adversus Phaenippum, quae non solum prima fronte ostentat, sed fere pertractat Solonis illud ἀντιδόσεως

1) Cadmum Milesium, vetustissimum teste Plinio logographum, primum hoc nomine appellatum fuisse, Isocrates in nostra de permutatione oratione narrat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

institutum, operam nostram contulissemus, et ipsi necesse haberemus exponere, quid sibi vellet illud institutum, quibus in rebus valuisset, qui modus obtineret, maxime in trierarchiae munere obeundo. Nunc vero, quum argumentum orationis in rebus longe aliis tractandis versetur, nec plene nec plane disseram de antidosi.

Illo tempore, quo orationem scriptam esse constat, (Ol. CVI., 4; 353 a. Ch. n.), Lysimachus quidam designatus erat trierarchus. Sed legis *περὶ ἀντιδόσεως* beneficio usus, Isocratem divitiorem esse arguebat eique munus deferebat [2]). Isocrates, divitiis florentissimus, ob vivendi rationem plurimis odiosus, quum cives *λίαν ταχέως ἀποδεχομένους τὰς αἰτίας καὶ τὰς διαβολάς* adversarii sentiret, onus non detrectavit, sed praestitit trierarchiam (Cap. II). Si detrectasset, ad instruendam litem, quae in iudicio ageretur, indicem bonorum alter alterius conficeret necesse fuisset; deinde magistratibus actio literis obsignata tradebatur instruenda, ac coram iudicibus diaetetis provocans et provocatus causam orabant.

Paucis annis ante quam Isocrates a Lysimacho provocatus est, *συμμορίαι* institutae sunt (Ol. CV., 3, cfr. Hermann §. 161., Boeckh. 99 sqq.); sed nescimus, num Isocrates, opibus praepollens, in MCC *συντελῶν* numero fuerit. Quomodo trierarchiae liturgia in illis societatibus dispensata sit, cognoscas ex horum virorum doctorum quos memoravimus libris.

De nomine adversarii nihil moramur, neque incommodare volumus Langio, qui pag. 15 in praefatione editionis [3]) dicit: Isocratem accusatum se a quodam Lysimacho fingit. Sane in prooemio orationis cap. I.—VIII., nomen non legitur, nec quidquam ad rem, num ei qui provocavit ad trierarchiam idem nomen fuerit quo Isocrates eum appellat, quem *γεγραμμένον, καὶ πράγματα παρέχοντα, καὶ ταῖς διαβολαῖς χρώμενον ταῖς ἐπὶ τῆς ἀντιδόσεως ῥηθείσαις ὑποτίθεται* cap. IV. init. Secundum Plut. in vita X oratt. actori Lysimacho nomen fuit.

Trierarchia igitur, bello imminente, praestanda erat; de ea suscipienda certamen exarsit inter eos ad quos quum maxime pertinebat id munus; invidus quidam Isocratem designat de eoque in contione multa maligne iactat. Isocrates suscipit trierarchiam — *καταστὰς ἐξ ἀντιδόσεως* exstitit — solus, ut videtur, sive in *συντελῶν* numero erat, sive ex umbra domestica protractus est; postea vero hanc orationem scribit atque ita instituit, quasi coram iudice lis ageretur. Contra calumniatores se defendendo vitae ac studiorum suorum rationem reddit.

Iam quaerentibus nobis de vero ac proprio orationis argumento, de fine et consilio quod Isocrates in ea conscribenda sequutus sit deque nexu sententiarum et rerum, atque, si per tempus licet, de universa argumentandi ratione, maxime consentaneum videtur, quum Isocrates ipse primus ordinem dividendi (*τάξιν*, Dion. Halic. *ἰδέας*) constituisse feratur [4]) ita, ut quattuor orationis partes praeciperet has: 1) *προοίμιον*, 2) *διήγησιν*, 3) *πίστεις*, 4) *ἐπίλογον*, per hasce orationem illam dispensare.

A. Exordium, *προοίμιον* (*εἰσβολὴ τοῦ λόγου* Dion. H.)

Cap. I—XII.

Cap. I—VIII. praefatur de causa et natura orationis, Cap. VIII—XII. ipsius orationis exordium continent.

Cap. I. Haec oratio differt et a genere *δικανικῷ* et a genere *πανηγυρικῷ* s. *ἐπιδεικτικῷ*, neque tamen ideo generi suasorio, *συμβουλευτικῷ*, ascribenda; est prorsus nova.

---

2) *Καλεῖν εἰς ἀντίδοσιν τριηραρχίας*: cfr. cap. II.: *ἀντιδόσεως γενομένης περὶ τριηραρχίας*; Pseudoplut. pag. 848 (edit. Basil.) *περὶ τριηραρχίας εἰς ἀντίδοσιν προὐκαλέσατο Λυσίμαχος.*

3) Isocr. Opera ed. W. Lange. Halis Sax. 1803.

4) Dion. Hal. Lys. 16 sqq. *ὡς Ἰσοκράτει τε καὶ τοῖς κατ' ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα κοσμουμένοις ἤρεσεν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. II—IV. In causa sunt calumniae accusatoris, quibus adductus sum, ut *ἐν ἀπολογίας σχήματι* orarem, ita tamen, quasi coram iudicibus causam dicerem. Inde oratio mixta est ex duobus illis generibus, cap. VI. Ad formam nempe cap. VII. — *προσποιουμένη* — est iudicialis; ad materiam — *βουλομένη* — apologia mei ipsius et (cap. III.) tamquam imago animi, studiorum totiusque vitae rationis.

Cap. V. Isocrates partitionem quandam ipse exhibet, maxime ad normam utilitatis, ac docet, quonam modo legenda sit haec eius oratio, quae summam accurationem postulasset.

Cap. VIII. Elevat orator accusatorem.

Cap. IX—XI. Summo artificio admonitionibus ad iudices directis preces et querelas intexit, hisque cap. XII. captationem quam vocant benevolentiae adiicit.

B. *Διήγησις* (narratio vel expositio.)

Cap. XIII—XIV. propositionem, *πρόθεσιν* continent.

I. In libello accusatoris (*γραφῇ*) arguitur reus corrumpere iuvenes.

1) Quod instituat eos ad futilem artem rhetoricam.

2) Quod in iudiciis contra ius eos dicendo vincere edoceat[5]).

II. Oratione, quam habuit actor Lysimachus, accusatur Isocrates his criminibus:

1) Quod causidicorum et rabularum quasi princeps, maximaque auditorum cuiusvis condicionis corona stipatus ideoque perniciosissimus sit civitati.

2) Quod amplissima vel a strategis et externis regibus et tyrannis munera et acceperit et etiam tunc accipiat, unde immodicis divitiis praepolleat.

C. *Πίστεις*. Tractatio, probatio.

I. Confutatio adversarii.

Promittit orator se demonstraturum:

ad B. I. mentitum esse adversarium.

ad B. II. exaggerasse eum immodice.

I. Accusator igitur contenderat, Isocratem iuvenes malis rhetoricae artibus depravare. Falsa est inquit criminatio.

a) Universe est falsum, me depravare. Quod probatur

aa) (Cap. XV.) Hac ipsa actione. Etenim si cui civium oratoria praestantia scriptisve meis aliquod damnum illatum esset (*βέβλαπται;* de *βλάβῃ* cfr. Boeckh. pag. 476 sq.), hac data opportunitate ex iis certe unus me postulasset aut contra me testimonium dixisset.

bb) (Cap. XVI.) Vitae ac studiorum ratione et consuetudine.

α) Negatione.

αα) Non volito in foris, neque operam meam colloco in tractandis litibus privatis[6]).

---

[5]) Quod hic *παρὰ τὸ δίκαιον ἐν τοῖς ἀγῶσι πλεονεκτεῖν* appellat, ab aliis sollemni de Sophistis formula *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* dici solet.

[6]) *Πόῤῥω τῶν πραγμάτων εἰμί, τῶν περὶ τὰ συμβόλαια γιγνομένων.* Quae antecedunt de Nicocle: *ἵνα δίκας μανθάνῃ λέγειν*, generalius dicta, me induxerunt, ut v. *συμβόλαιον* item generali sententia acciperem, neque mihi persuadere potui, tantummodo de pactionibus privatis et obligationibus loqui oratorem. Cfr. quae Boeckhius queritur pag. 493 de tantis tenebris et quasi parietinis causarum privatarum, praesertim quum Lysiae oratt. *περὶ συμβολαίων* deperditae sint. Omnia certe complecti oratorem, quae vel tantilla cognatione cum artiore et propria significatione verbi *συμβόλαιον* (vel *σ. ὑμέτερα, σ. ἴδια* cap. XVII.) teneantur, documento est additamentum *καὶ τῆς περὶ ταῦτα πραγματείας*. Alio modo de hacce ipsa re verba facit Isocr. ipso cap. XVI.: se neque *ἐν τοῖς συνεδρίοις* neque *περὶ τὰς κρίσεις* neque *ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις* neque *πρὸς τοῖς διαιτηταῖς* versari. Quare si fallor, fefellit me Isocrates.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ββ) Neque egregius forensium orationum artifex sum, sed gloriam mihi meam comparavi alii prorsus eloquentiae generi operam navando, atque orationibus quae in foro recitentur pro aliis conficiendis. Cap. XVII.

β) Positione. Praemisso succincto diversorum prosae orationis (h. e. orationum) generum conspectu, agit

αα) De natura ac proprietate eius generis dicendi, quod ipse colit et amplexatus est. Hoc, inquit, eo conspicuum est,

ααα) quod tractat universae Graeciae rerumque publicarum et statum et laudes, praeterea vero (adde ex cap. XXV.) semper commendat virtutem et iustitiam;

βββ) quod conformata est ad similitudinem poëmatum, numerorum ac modulationis studio;

γγγ) quod comtam dictionem requirit splendidisque et inusitatis enthymematis est distinctum et refertum. (cfr. ex Panegyr.: τὰ παλαιὰ καινῶς διεξελθεῖν, καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν.)

ββ) De huius generis virtute et praestantia. Hoc genere qui utuntur oratores ceteris longe praestare eo colligitur, quod

ad res („obiective" quod dicimus)

ααα) magis delectant auditores,

βββ) plus prosunt et civitati et singulis.

ad homines („subiective"):

γγγ) plus habent sapientiae, ac versatile ad reliqua dicendi genera exercenda ingenium.

δδδ) stabili gloria ac perpetua florent admiratione.

b) In specie est falsum, me depravare orationibus.

Cap. XX. Iam vero, quoniam mihi crimini data sunt non facta sed dicta, necesse est in medium proferantur orationes meae ipsae, quibus comprobetur (πίστεων causa) et calumniatum esse ac mentitum adversarium, et iustam de meis me studiis deque illarum argumentis atque virtutibus dedisse expositionem.

Locos deinde recitari iubet[7]) Isocrates ex tribus orationibus ante a se scriptis.

aa) E Panegyrico (pag. 67—83 Lange).

cap. XXI. α) Argumentum:

αα) Graecos cohortatur ad bellum Persis inferendum.

ββ) demonstrat non Lacedaemoniis deberi principatum, sed Atheniensibus.

ααα) Atheniensium civitas quum omnium fere bonorum, quibus Graeci fruuntur, causa fuit,

βββ) tum bellis maxima semper pericula pro salute Graeciae subiit.

β) probatur hac oratione (cap. XXII.)

αα) me dicendo adeo non corrumpere homines, ut ad virtutem maiorumque imitationem exhortatus sim.

---

[7]) Notanda videntur verba: ὥμην μὲν οὖν αὐτὸς δυνήσασθαι διελθεῖν περὶ αὐτῶν, νῦν δέ μοι τὸ γῆρας ἐμποδίζει sq. Ἵνα..., sq. πολλῶν ἔτι μοι λεκτέων ὄντων .... ἀνάγνωθι! Quae si accipimus: exponere de iis, offendimur, quod revera de quaque harum orationum exposuit quaedam et ante et post recitationem; sin vertimus: ipse recitare, quod sententia postulari nemo infitiabitur, Isocrates simulat, quasi priore sua aetate ipse orasset in foro. Sed quorsum haec simulatio, si quidem haec ipsa oratio scripta tantum est, non habita coram iudicibus?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ββ) me non poena dignum, sed gratia summa, quoniam hac re tractanda omnes oratores longe superavi.

bb) E Sociali s. de pace.

(cap. 10—17 et cap. 42—48 Lange).

Cap. XXIII—XXIV. Argumentum et differentia a Panegyrico. Eo differt haec oratio a Panegyrico, quod, quum illa maiorum egregie facta laudibus extollat, haec contra aequalium peccata in rebus publicis gerundis vituperatione castigat. Itaque postquam de pace cum Chiis, Rhodiis, Byzantinis componenda egit orator,

α) Atheniensium dominationem (δυναστείαν), potissimum quam mari exerceant in Graecos ac socios, reprehendit, quippe qua calamitates et in omnes τοῖς πάθεσι τῶν μοναρχιῶν usos et in universam Graeciam irruissent.

β) ad iustitiam colendam cives excitat, invehitur in praesentia mala, consulit bonis futuris.

cc) Ex oratione ad Nicoclem.

Cap. XXV. Argumenti cohaerentia cum iis, quae antecedunt, eo est conspicua, quod etiam hac egregie monstratur:

α) In eo me semper defixum esse, ut virtutem et iustitiam commendarem.

β) Populi me semper commodis patrocinatum esse, quum ingenuo ore iustoque libertatis imbutus sensu, praecepta dederim ea, Nicocles ut miti ac leni in subditos uteretur imperio, vanis oblectamentis abstineret, negotia curaret sedulo, atque ipse optimus et sapientissimus inter cives evadere studeret [8]).

Atque hîc incipit pars orationis a Mustoxyde anno 1812 reperta. Quamquam praeter minorem Orellianam, quae verba duntaxat exhibet uno tenore decurrentia et ne minimis quidem distinctionibus capitibusve digesta, nova etiam editio Isocratis quam curavit Benselerus (1851, Teubner.) praesto est, in adumbranda orationis structura hinc per paginas Orellianae distinguam. Itaque citamus nunc (cum ipso Benselero) inde a pag. 58—131 Orell.

Comprehensio. Pag. 58—63. His omnibus comprehensis evincitur,

1) me de summis semper et sanctissimis rebus verba fecisse,

2) me ita saluti civitatis consuluisse, ita ad virtutem sapientiam iustitiam civium animos instituisse, ut cunctam Graeciam alloqui viderer omniumque eius civitatium concordiae incolumitati felicitati studerem. Eiusmodi vero orationes scribere et difficilius est et laudabilius, quam leges uni soli civitati dare, paucisve tantum civibus rectam vivendi agendique viam monstrare.

Hinc transitum sibi parat ad recensendos discipulos ipsos. Quamquam adversarius neque orationes malas indicavit neque ex discipulorum meorum magno numero tales denotavit, qui consuetudine mea peiores facti sint, tamen ipse etiam examinandis moribus, rebusque gestis discipulorum refutabo tertiam partem primae calumniae. Iam porro

c) Falsum est, me corrumpere iuvenes. Pag. 63—66.

aa) In genere. Multi (enumerat octo) publice aureis coronis donati sunt; nemo pravitatis nota aspergi potest. Quodsi quis contrarium probaverit, severissimam poenam ipse efflagito.

bb) In specie. Accusator multus fuit et acerrimus in eo, ut amicitiam quae Timotheum inter et me fuit, exprobraret atque Timotheum mortuum indigne carperet. Quare sequitur

[8]) Artificiose instituit orator, quod, quum in Panegyrica oratione carptim proponenda distinxerit inter argumentum et id quod oratione probetur, in altera duarum harum reliquarum tantum modo argumentum, in altera tantum id, quod ea probari vult, designat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Longa apologia Timothei ducis. (pag. 66—78, usque ad verba: *Ἀπορῶ δέ*, cfr. Corn. Nep. Tim.)

α) Commemorantur eius res gestae egregie,

β) praedicatur eximia eius indoles atque natura, virtus et in re militari prudentia,

γ) quae si eadem fuisset in aura populari captanda, invidiam omnium evitasset neque iniuste mulctatus esset.

Collectio pag. 78 sqq.

Iam Isocrates postquam excusavit, si, quae sequuntur, non videantur iusto quodam ordine esse disposita (*ἐφεξῆς λέγειν*),

α) repellit eorum sententiam, qui ipsorum vitam moresque clamitaturi sint ab Isocrate dolose peti et impugnari eo, quod suae ipse vitae publicae domesticaeque rationem ab illis diversissimam tanta laudatione decoraverit;

β) arcere vult invidiam importunamque maiora etiam atque plura onera publica in se ipsum inclinandi cupiditatem et malignitatem eorum, qui de Isocratis divitiis cavillando et insane exaggerando perversam opinionem et haberent et disseminarent.

Tali modo transit ad secundum crimen:

2) Isocratem ingentem et fere intolerabilem rem familiarem discipulorum mercede ac donis sibi peperisse. pag. 83—87.

Res ipsa fert, ut quam brevissime de ea dicat. Refutationem duobus, ut semper fere solet, argumentis primariis absolvit; namque

a) generatim sophistis (h. e. scholarum rhetoricarum magistris) amplas esse facultates negat.

b) singillatim sua de re ita exponit, ut

aa) res domesticas bene parce ac diligenter curare sese ac dispensare indeque laudem mereri asseveret,

bb) perversitatem, qua nunc populi animi obcaecati sint, reprehendat, quasi vero homines locupletes rei publicae magis sint perniciosi quam nebulones et malefici;

cc) quod eo ineptius est, quum ipse opes sibi suas — quomodo dives factus sit, narrat pag. 85 sq. — a peregrinis comparaverit, nullo civitatis impendio, at profecto commodo.

Finis defensionis de iis, quibus adversarius Isocratis ipsius nomen detulerat. Optime hoc loco (*περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ τῶν ἄλλων* cett.) ad perorationem properare poterat; at nimirum properare non est Isocratis; absoluta itaque sui ipsius apologia, sese accingit ad alteram rem, quae sane quodam cognationis nexu continetur cum iis quae antecedunt. Sequitur enim

II. Apologia eloquentiae.

En novam quodammodo orationem, quae, quamquam larga est repetitionibus et ambagibus, in ea eloquentia parum secernitur ab eius magistro Isocrate, ut Isocrates ipse perpetuo recurrat intolerabili plane modo, quando eum longe abesse et de illa solummodo arte rem agi credas.

Capita, quae proponit pag. 90—91, alio ordine exsequutus est in iis quae sequuntur. Verba facit

1) De praeclara huius artis natura ac vi. Contrarium est *παιδοτριβικὴ*, quo vocabulo complectitur omnia quae ingenuam corporis curam spectant studia. Ubi, quibus in rebus *ἡ τῶν λόγων παιδεία* consistat, descripsit, ea enumerat ac ponderat quae ad adipiscendam dicendi facultatem necessaria sint, videlicet natura promptum et docile ingenium, memoriam bonam, os ac latera, liberas voces, intrepidum in foro animum, praecipue vero studium, sollertiam, exercitationem: quae si in eodem omnia iuvene repereris, egregium eum oratorem formabis. Nec tamen discipulorum laudes

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac virtutem soli sibi magistro vindicandas esse umquam se existimasse probat loco ex oratione sua contra Sophistas desumpto, unde appareat, vana promittendo alumnos allexisse sese nunquam neque fallaci spe decepisse. Haec usque ad paginae 98 verba *ταῦτα μὲν οὖν ἐκείνοις* sqq.

Dehinc transit ad

2) duas vituperationes studii rhetorici (*τῆς περὶ τοὺς σοφιστὰς διατριβῆς*) refellendas.

Sunt enim qui dictitent

a) institutionem rhetoricam esse ineptias et praestigias (*φλυαρίαν καὶ φενακισμόν*).

b) peiores reddere homines, quia pelliciat, ut alienis inhient (*τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύειν*[9]).

Ad a) pag. 98—103. Ineptum est, illud studium despicatu habere nihiloque secius simul postulare, primum, ut illico, tum, ut omnes tamquam perfecti dicendi et sapiendi antistites ex disciplina rhetorica progrediantur. Nisi forte crediderit aliquis, in hanc artem non cadere, quod in ceteras omnes cadit, ut tempore, exercitatione et assiduitate, demum aliquid proficiatur, sed peritiam dicendi natura ultro donari ac sua sponte quasi nasci!

Ad b) (pag. 103 sq.)

aa) Magistris ex discipulorum pravitate nec vitae iucunditates nec lucri honorisve quid redundare possunt;

bb) discipulos pravos non amplius opus est depravari, neque isti in pravitatem et delatoria artificia perdiscenda pecuniam expendent; boni venirent nulli, ut nostra institutione et consuetudine uterentur, nedum ex peregrinis terris in ludum nostrum literarium accursuri essent (usque ad pag. 107).

cc) Dicendi vim ac veram facultatem nullo modo male sedulae industriae (*πολυπράγμονας*) aut delatorum impudentiae (*συκοφάντας*) favere et antiqua et recentia exempla probant. Ex illis in memoriam reducit Solonem, Clisthenem, Themistoclem, Periclem[10]).

dd) (usque ad pag. 110.) Graviter reiicit haec omnia crimina in ipsum accusatorem eiusque pares, quorum nomina in actis tabulisque publicis crebro notata inveniantur ut molestorum petitorum, impigrorum delatorum, accusationes factitantium. „Sophistae" igitur abeunt insontes omnique crimine exemti.

ee) Parentes ac propinqui nos in ius vocarent, si adulescentes corrumperemus, non Lysimachus eiusque gregales, quibus nostra schola maximae offensioni est, metuentibus, ne ea eruditi istos, dolis et machinationibus tumescentes, misere lacessant et castigent.

Praeterea vero sunt, qui ad malignam catervam istas ineptias iactantium se aggregent iccirco, quia nil ipsi in arte oratoria sive philosophia profecerint[11]). Hos propellit invidia;

---

[9]) Aliorum fortunis imminere forsitan non totam sententiae vim comprehenderit; notat puto in universum omnem pravam cupiditatem alienis negotiis sese immiscendi.

[10]) *Τῶν νεωστὶ τετελευτηκότων*, qui, *πλείστην ἐπιμέλειαν τῶν λόγων ποιούμενοι*, optimi fuerint *τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παριόντων*, neminem enumerat; num Lysiae quoque commonefacere nos velit, ambigo, quum is iam anno a. Ch. n. 379 mortuus esse videatur.

[11]) Id genus studiorum, ad quae ipse auditores instituit, *τὴν τῶν λόγων μελετήν*, studium rhetoricae eius, quae rebus maxime publicis gloria et salute augendis, civibus ad iustitiam omneque omnino genus virtutis cohortandis servit, artemque ipsam oratoriam, eloquentiam, appellare consuevit Isocrates *φιλοσοφίαν*. Ex copia locorum inter legendum a nobis observatorum paucos hos exscribere liceat:

Cap. XVI. Lange: *οἱ περὶ τὴν φιλοσοφίαν διατρίβοντες*, qui eloquentiae operam dant; cll. cap. XVIII.: *ἐκ φιλοσοφίας τὴν δύναμιν εἰληφότας*.

Pag. 81. Orell.: *τῶν περὶ φιλοσ. ὄντων*, i. e. *τὴν αὐτὴν σοὶ* (*Ἰσοκράτει*) *πραγματείαν*.

Pag. 85. *περὶ τὴν φιλ. διαφέρειν*.

Pag. 87. *περὶ τὴν τῶν λόγων παιδείαν* h. e. institutio, quae absoluta *φιλοσοφία* dicitur; qui instituunt, sunt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neque huiusmodi obloquutores sibi constant, sed secum ipsi pugnant, insulsi sunt et vecordes. (usque ad pag. 114).

3) De dignitate et commodis eloquentiae. Demonstratur, dicendi peritiam ex omnibus hominum facultatibus (*πάντων τῶν ἐνόντων ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει*) plurimorum bonorum esse causam. Quod sic instituit,

a) primo (usque ad pag. 116) ut tamquam prolusionis causa ostendat, quae et quanta genus humanum linguae usu consequutum sit; sine loquendi facultate nil fit omnium quae *φρονίμως* fiunt. Porro a *λόγῳ* affabre revertitur ad *τοῦτο τὸ πρᾶγμα* (studium eloquentiae) et

b) comparationem instituit (pag. 116—122) Sophistarum qui vulgo appellantur (*οἱ περὶ τὰς ἔριδας σπουδάζοντες*) cum iis oratoribus, qui saluti rerum publicarum prospiciunt (*οἱ περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους ὄντες*). Illi tractant res, quae ad agendum, ad vitam et usum ne hilum quidem faciunt (ars dialectica, astronomia, geometria cett.!), sed tamen non nocent. Contra (pag. 118—119) praeconia eius quam ipse semper amplexatus est sententiae de fine artis oratoriae, qua omnia ad utilitatis rationem referuntur, multis et splendidis nominibus pronuntiat. Finis rhetoricae est persuadendi studium et *χάρις* (praecipue in genere panegyrico); rhetor est *πειθοῦς δημιουργός*. Veram philosophiam, quae posita est in eo, ut quam saepissime iudicium feramus quam rectissimum de iis quae agenda sint et dicenda[12]), optime tibi comparas studio artis bene dicendi (*λέγειν εὖ*) et persuadendi; inde enim vera praestantia (*πλεονεξία*), h. e. prudentia, sapientia, virtus privata publica, atque existimatio gignuntur. (*καλοκἀγαθία, εὐδοκιμασία*).

Pag. 122—125. Acerbissimam querelam temporum et morum fundit. Eo perventum esse Athenis perversitatis, ut vel vocabulorum significationes misere perverterentur[13]), eo porro depravationis, ut adulescentes cuivis voluptatum generi addicti perirent, quum viri, qualis ipse esset, ignominia afficerentur et iniuriis, quantumvis id ipsum curaret, ut discipulos suos ab istiusmodi libidinibus, a ganea, comissationibus et quae sunt talia, arceret! Utinam Athenienses, perdita intemperantia dissoluti, meminerint (Pag. 125—128.):

a) Qui naturae forte facundia eminet, admiratione cumulatur non eodem iure ac si quis exercitatione indefessoque labore facultatem dicendi assequutus est. Tamen gratiam cohibent abs tali homine, licet plus illo prudentiae, cautionis semper adhibeat necesse sit subacto ingenio praeditus.

b) Utinam deinde meminerint, Atheniensium civitatem summa gloria famaque florere quum apud Graecos tum apud exteros maxime propter ipsam dicendi facultatem, loquendi elegantiam, sermonis urbanitatem, omnino lepidam, facetam (*εὐτραπελία καὶ φιλολογία*), huiusque ingenuae et liberalis peritiae tamquam magistram ac ducem haberi. Quapropter qui hanc artem eiusque magistros calumniantur, idem faciunt, ac si Lacedaemonii rei bellicae studiosis mulctam imposituri

---

σοφισταί, quibus Isocrates se adnumerat pag. 83: *τῶν καλουμένων σοφιστῶν*, et pag. 109: *ὡς οὗτοι τοῖς σοφισταῖς* (i. e. *ἐμοὶ*) *ἐπιφέρουσιν*. Luculentius etiam pag. 68: *φιλοσοφ. διαβεβλημένην* demonstraturus est. Luculentissime pag. 92: *οἱ περὶ τὴν φιλοσοφίαν ὄντες, τὰς ἰδίας ἁπάσας, αἷς ὁ λόγος* (oratio) *τυγχάνει χρώμενος, διεξέρχονται τοῖς μαθηταῖς* sqq.

12) Pag. 119 lin. 6 infra. Posuerim comma demum post v. *ἐκτῶν λοιπῶν* verterimque: quid agendum dicendumve ex iis quae nobis relinquuntur (ex iis quae omnino fieri possunt).

13) Sic e. g. *σοφιστὴν* esse nunc futilem nugarum magistrum, *φιλοσόφους* vero nuncupari *τοὺς τῶν παλαιῶν σοφιστῶν* (h. e. Physicorum, Empedoclis, Ionis, Alcmaeonis, Parmenidis, Melissi, Gorgiae, cfr. pag. 118 fin.) *τερατολογίας* (*θαυματοποιΐας* pag. 119) *ἀγαπῶντας!*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essent! At enim vero illam εὐτραπελίας et gratiae nativae in consuetudine cum aliis conspicuae (κοινοτέρους) famam foede inquinant, invidiam et odium contrahunt civitati πικρότητες et κακοπραγίαι Sycophantarum, quos ideo de medio tolli (ἀποκτείνειν), eos autem, qui hanc existimationem institutis suis et institutione fovent, augent, maioribus quam ceteros cives honoribus et laudibus ornari oportet. Neque enim solum generis nobilitate et splendore rerum gestarum, sed vel magis antecellebant prudentia et vi dicendi, quicunque maxima in patriam contulerunt beneficia, (pag. 131) Clisthenes, Miltiades, Themistocles, Pericles. Quamobrem, inquit, mittite despicientiam fere agrestem (τραχέως, ὀλιγώρως) philosophiae eius, quam ego tracto vobisque exposui. Etenim nobilissimum et pulcherrimum studium est cura animi excolendi, quod ut complectantur, omnibus iuvenibus, quibus facultas et otium contigit, cohortationibus auctores esse debetis. pag. 129.

Ita mediam in perorationem tandem aliquando delapsi sumus.

[Mustoxydem nunc excipiunt pristini editores].

D. Ἐπίλογος. Lange pag. 597, cap. XXVII ad fin.

Quum multa praeterea habeat quae dicat Isocrates, quomodo vero disponat, haereat, veritus, ne longus sit — modum nempe in orando non excedere esse difficillimum, id quod statim suo exemplo probat, invehendo iterum in sycophantas, qui maiorum temporibus severe puniti forent, quum nunc multo maiora damna inferant civitati, intulerintque maxima — revera tandem finem facit dicendi, libere confessus, ea sola fretum, non commiseratione civium excitata, non supplicibus manibus liberisque monstrandis neque amicis deducendis, se velle liberatum discedere. Summam enim sese habere fiduciam, ac, quidquid acciderit, divinitus sibi accidere sibique fore saluti se esse arbitraturum. Quare, inquit, utcunque cuique vestrum libet, ferte suffragia.

Dimidio igitur amplius oratio in longitudinem crevit fragmentis a Mustoxyde repertis. Quae si deessent, defensionem magis de se duntaxat ipso Isocrates nobis exhibuisset (vel apologiam sui [14]), nec tamen cetera capita, quae in nova ista orationis parte pertractat copiosissime, prorsus desideraremus; certe expiscari ea possemus quasi intermixta et subdita summo consilio, et cum Dionysio summum esse orationis figuratae (λόγων ἐσχηματισμένων) artificium cognosceremus, aliis argumentis τὰ οἰκεῖα συμπλέκειν, tum propriis argumentis aliena commiscere atque intexere. Iam vero, quemadmodum oratori hoc dari veniae non ignoro, crebrius res et argumenta ut repetat, ita quantivis faciam argumentandi rationem, qua Orell. pag. V—VI. genuinum esse illa fragmenta Isocratis fetum comprobare studet, hanc ingentem et verborum et rerum turbam ac quasi colluvionem una unius orationis compage contineri, vix ac ne vix quidem putare sustinuerim. Paene equidem autumare ausim, duas de eadem re Isocratis orationes diversas, quarum utramque Isocrates in schola sua, — ubi discipuli amicorum suasorumve vicibus fungebantur, cfr. Panathen. —, antequam publici iuris fieret, recitandam curaverit, nunc post Mustoxydem nos habere in unam coactas atque consutas, pristinae vero orationi, uti ante ann. 1812 exhibebatur, δευτέρας quasi Isocratis φροντίδας fuisse adhibitas. Supplementum illud ex cod. Ambrosiano erutum si exordio et peroratione mutilum iudicares, en haberes vel sic bonam quandam Isocratis defensionem, alia sane via proce-

[14]) Notabilis ea de re locus exstat in Dion. Halic. Artis Rhetor. cap. IX.: de oratione figurata Tractat. II. cap. 12. pag. 357 Reisk.; qui quidem locus in fragmentorum Mustoxydeorum cum pristina orationis forma cohaerentiam inquisituro haud praetermittendus videtur. In Oratione de permutatione, inquit, fuse suas laudes persequitur Isocrates atque quum in Panegyr. et Philipp. τὸ ἐγκώμιον sit ὥσπερ πάρεργον συμβουλῆς, hac in oratione ἡ συμβουλὴ πάρεργον, contra τὸ ἐγκώμιον est ἔργον, quia erat ἐν ἀνάγκῃ ἀπολογίας πρὸς τὰ κατηγορημένα.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dentem, videlicet ita, ut eloquentiae (seu philosophiae) laudes quasi fundamentum vel cardo esset, quum in priore defensionis specimine omnia magis ad oratorem ipsum referrentur. Ut alia quaedam mittam, quae inter legenda Mustoxydea nonnihil offenderunt — e. c. quod ad satietatem se affirmat orator ἀπορεῖν, quo hoc illudve pacto eloquatur et dispertiat, porro quod logica accuratio in pertractando et ordinando nonnumquam videtur deesse — ad prima verba, quibus peroratio in pristina oratione incipit, animos advertere velim; quae quis non intolerabili fere modo dicta esse censuerit ab Isocrate, postquam hanc immensam profecto, addito supplemento isto, orationem habuerit? Verba sunt haec: πολλῶν δ' ἐφεστώτων μοι λόγων, ἀπορῶ πῶς αὐτοὺς διαθῶμαι!

Sed critici partes hîc agere, quum proposito meo tum temporis locique angustiis prohibeor; quare finem faciam huius commentarioli, sperans, quum, opinioni meae nihil tribuens, supplementi quoque argumentationi describendae aliquantulum navaverim operae, me in reprehensionem Orellii non esse incursurum, qui sat multos homines ita demum perspicacis ingenii laudem nancisci sese existimare indignatur, ubi antiqui alicuius scripti auctoritatem elevarint. Neque dubito, quin alii doctrinae copia eruditionisque adiumentis apprime instructi ornatique viri certius de controversia illa iudicaturi sint, utrum Isocrati tribuendum sit hoc fragmentum ac revera orationis de permutatione priscae complementum, an pro misella ac suppositicia sophistae nescio cuius interpolatione habendum sit.

Georgius Schlüter.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf